



8

EPITAPHIA
IN OBITVM PIETA-
TE PRÆSTANTISSIMI AC
ERVDITIONE CLARIS SIMI
VIRI DN. M. FRIDERICI ZORLERI
Kittingensis Franci, Fribergensis in Misnia lu-
di Rectoris egregiè fidelis Prid. Cal. Feb. An-
ni 1587. piè in CHRISTO defuncti, ætatis suæ
propè LXV: vbi per annos XLI, cum Troiæ
Francia, tum Fribergæ & Dresdæ de iu-
uentute scolastica præclarè esset
meritus.

SCRIPTA

ab

amicis, filijs & discipulis.

DISTICHON CONTINENS DIEM,
mensẽ & annum obitus.

PhæbVs Vbi Iano postreMos egerat ortVs,

ZorLerVs sVpera seDe repostVs oVat.

M. Phil. Z. F.

VVITEBERGÆ.

Typis Zachariæ Cratonis.

9.

EPITAPHIVM QVOD SI-
BI IPSI MORIENS FECERAT.

FRANCIA me genuit, me LEVCORIS
artibus ornat,
FRIBERGA imposuit munia sacra
scolæ.

Nunc mens læta iniens fratris commercia Christi,
Conspectu fruitur colloquioque DEI.



Χριστέ γόνον, κ' ὡς Χριστέ καλῶς μου τέκνια φυλάσσω
Τῶν ἐλέων ἔμμεναί σκευεα κ' χάριτι.

ALIVD.

FRancia ZORLERVM genuit, Friberga
Magistro est
Annis vltia nouem & bis duo lustra
scolæ.

Doctus erat linguis, doctrina clarus, & artes
Tradere solerti dexteritate bonus.

Insuper & morum censor grauis, atque peritus
Corrigere edicto vel leuiore malos.

Hic fessus studijs multis, & mole laborum
Occidit oppressus quos tulit vsque senex.

Lugete extinctum pueri, deflete parentem
Semina qui vobis artis honesta dedit.

Et vos, quos propior communis cura salutis
Tangit, lugubri mente dolete virum.

Totaq; det lachrimas vrbs nostra in funera largas,
Commune amissum est, occubuitq; bonum.

Insita virtutum menti quæ semina, ni sit
A teneris studio qui colat assiduo,

Putrida torpescunt, sic fert natura, repentè,
Et vitio virtus luxuriante perit.

Corruit imperio status omnis, & interit absq;
Supposito fulcro præsidioque scolæ.

Hinc

Hinc morum exurgit solers structura bonorum,
Plenaque diuina cognitione domus,
Hæc animos format sapientes fabrica, sunt hinc
Imperio digni quotquot in orbe viri.
Vtilis hinc patriæ ciuis, ceu publica tractet,
Imprudens vulgus consilijsque regat,
Seu quis priuatus degat, curamque suorum
Sedulus, inque omnes officiosus, agat.
Cætera quis referat præsentis commoda vitæ,
Quasque scolæ laudes utilitatis habent?
Sponte sua nemo fuerit bonus absque Magistro,
Natura quod sit degener, atque malus.
Commune ergo bonum, communis luctus & ingens
Damnum, virtutum si malè fulta domus.
Turbata heu nimium summis & plena periclis,
Obrutaque innumeris tempora nostra malis.
Occumbunt proceres regnorum, & vertice nutat
Sublimi, languet culmen & imperij.
Nititur impariter firmis fidisque columnis,
Suffultum amissa qua benè nuper erat.
Fundamenta suis quassantur motibus: hoc quid
Portendit? mundus vergit ad interitum.

Hiobus Magdeburgus.

IN TVMVLVM.

H Ac FRIDERICVS eburneola ZOR-
LERVS in vrna,
Culte tibi patria junctus EBERE, cu-
bat.

Carus & ille tibi ingenij, diuine MELANTHON,
Indole, & ab raræ sedulitatis opus:
Ergò viri auspicijs tanti studium omne dicauit
Mysniacis, octo per stata lustra, scolis.
Quà Friberga jacet florentibus ampla metallis,
Et quà principibus Dresda habitata viret.
Quos ibi discipulos dederit varia arte politos
Res loquitur, vehit & Mysnia grata polo.
Nunc post frugiferos, & tœdia sancta, labores
In cœli pacem sede receptus habet:
Atque nouum sidus Danielo teste refulget,
Et diuturnæ operæ præmia magna capit.

*Petrus Albinus Niemontius
Vitebergæ F.*



TETRASTICHON SEPULCHRO
 Præceptoris sui venerandi dicatum.

ZORLERS ludū multos qui rexerat annos
 Occubuit senior, vir pietate grauis:
 Huius in hoc placidè requiescunt ossa sepulchro,
 Verūm anima in cœlo jam videt ecce DEVM.
 M. Michael Hutterus Ecclesiast.
 Witeberg.

ALIVD.



Ἰτ' ὀπιχθονίοισι παρ' αἰδράσι ὀλβιοδάμων,
 τῶν ἑπιχαρείαις ὑψιμέδοντι θεῶν.
 εὐσεβεία ζωῶν ἔλκων, δηλῶν τε θεοῖο
 τῶν δόξαν παίδων ποιῶσι διηνεκέως.
 Τοῖσ' ἔλω γέγρατός τε γερῆνι ὁ βελδεσμὸς,
 χηρῶν, ἢ πτωχῶν, ἢ φίλων πᾶσι φρονῶν.
 τῶν νεοτῆτα τὰ θεῖα διδάγματα ἀκαταπαύτως,
 τ' ἑρετῆς κόσμον πάντα δίδαξε καλῶς.
 πλείονες ἔγω γὰρ αἰδρῆς ἔιτρεπε ἠποδώρων
 πικίλα μισθίων δῶρα ὀπιχαρδίας.
 κῆθον ἀληθείης τεχνῶντες ἢ ὄκλαρα πῶρος:
 καὶ ὑπὸ τῶν φαύλων ἄλγιστα πολλὰ παίδων.
 ἢ μὲν ἄλλα ταναυσία μήποτε θυμὸν ἀμυσε
 εὐφρονα, μηδ' ἔχθροισι ἀφροσι μεμφομένη.
 ἔπως μὲν χαλεπῶν ἰδεῖν βίοτιο τελειῶν
 ἠδέα γοῖν ἐξελύγῃται ἐν πολιῶν.

Πᾶσι



Πᾶσαι κόπῃ μόχθῳ τε καὶ ὡς ἀρα ἐπὶ βιῶνῃ
 θνητῶν ἀνθρώπων, καὶ μόνον ἀθλιότης.
 εἶδε μίᾳ ἐνὶ ὥρᾳ ἔτις ὁ γέρον πολυπένης
 πότιμον αἰ ἀγρῶν τρυφῶν τηλυγετῶν θυρατρῶν,
 ὃν ῥα πσῆτον κρυπτόν ἐνὶ σήθεσιν ὄδυρμόν,
 οἱ γονεῖς μόνον εὐοῖδασιν ἀχνύμμοι,
 ἀλλὰ θεῶ πῖσωθ, πᾶνθ' ἔ ἐνὶ γένασι κείτη:
 φίλτατα δόντι βροτῖς, τ' αὐτὰ δ' ἄγοντι πάλιν:
 ἐνόματ' ἐν χερσὶν πάντων τετυπωμῶν ἔχοντι:
 ὥτινι καὶ ὅσα περ ἡματα ἐσόμενα,
 εὐμάλα δὴ νενίκηκε πολύστονον ἀχθῶ ἀμύμων,
 πσέυων νυ μονῶ τῷ θεῷ ἀθανάτῳ,
 ὡς λίπε καὶ γῆθ ἀνθρώπων πολυδάκρυτον αὐτῖς,
 πῖσιν ἔχων βέβαιον, τῷ σωέσιν τε καλῶν,
 χάρις ἐν μεγάλως ὄψει δόξητε Ἰησῶ:
 ἄμμες ὃν ἐνδοξον ναὶ μὰ πορθῶμῳ ὁμῶς.

pietatis ergo

M. MELCHIOR IOSTELIUS
 DRESDENSIS.

PIIS MANIBVS PARENTIS
DESIDERATISSIMI.

SIC te corporeis vinclis & mole solutum
Fata solo renuunt amplius esse Pater:
Num satis ante fui infelix ex morte sororum,
Et quos, natorum funere, Parca tulit,
Ni nouus ad veteres dolor insuper iste dolores
Absoluat numeris omnibus omne malum:
Sed quas inferias aut quæ tibi munera reddam,
Aut statuam luctus quæ monumenta mei:
Non ego nunc laudum memorabo dona tuarum:
Nota DEO, & multis sunt ea nota bonis.
Et dolor ipse vetat: quare exoptabo quietem,
Pro fratrum & matris vota salute ferens:
CHRISTE salus mundi, Rex vitæ & mortis IESV,
Arbitrio cuius nascimur & morimur,
Dum tibi sic placuit me fido orbare Parente,
Illius æquo animo da mihi ferre necem.
Sis viduæ fidus tutor, patronus, amicus:
Et quos, pupillos fecerat ille, iuua.
Ac tu care Pater, non iam pater, vmbra beata
Salue perpetuum, perpetuumq; vale.
In cœli donec iungamur sede beata,
Turbabit nullus gaudia quando dolor.
Isthic perpetuus virtutum præco tuarum,
Et CHRISTO coram iudice testis ero.

M. Fridericus Zorlerus Fil. in Leubnitz P.

ALIVD

ALIVD.

TV pietatis honos, geminæ tu gloria linguæ,
Præcipuus juvenum tu moderator eras.
Nec contenta fuit terris tua fama paternis,
Est Myfiæ magnis nota sed illa plagis.
STIGELIVS titulis te donat, at ipse MEL Anthō
Fribergæ celebrem jussit adire scolam.
Te veneratus erat VVELLERVS, teq; IEGERus
Quos pietate pari tu veneratus eras.
Teq; loco fratris Doctor dilexit EBERVS,
Et tibi ZEVNERVS junctus amore fuit.
Et rectore scolæ quōdam peramanter APELLE
Ter septem & geminis mēsisibus vsus eras.
Quid referam reliquos fama ac virtute celebres,
Quorum res patriæ publica fulta fide est:
Qui te ceu nati genitorem semper amârunt,
Et præceptorem te coluère suum?
Nunc te sublatum flet res vtriusque Mineruæ,
Mœsta suum deflet docta juuenta patrem.
Achîc exigua tua membra reponimus vna,
Candida sidereas incolit vmbra domos.

*M. Iohannes Zorlerus Filius, Pastor
in Rysß.*

B

Aliud.

ALIVD.

ERgò etiam moreris fatali lege solutus,
Teque viam visum est mortis adire Pater?
Sic te inter sanctas operas, durosque labores
Prò superi, secum mors violenta tulit?
Tene? à quo mihi doctrina, virtuteque pectus
Excolere, & vitæ munus habere datum est?
O dolor, in terris sic me nunc esse relictum,
O dolor, auxilio meque carere tuo?
Sat tibi fortè diu vixisti: sed mihi certè
Non satis: ô vitæ pars bona rapta mea.
OVT Inam amplexus saltem morientis inhærens
Dixissem Genitor spes mea, luxque vale,
Excepissem animam vel singultantis ab ore,
Clausissemque pia lumina fessa manu.
At mihi quæ fuerat luctus medicina negata est,
Dum propè fluentes me fouet Albis aquas.
Nunc gemitu tabesco & Sol oriensque, cadensque:
Non cernit vacuum fletibus ire diem.
Nec me vita prius, quàm mœsta querela relinquet,
Et pietas finem nesciet ista suum.
Quis poterit nostris posthac succurrere Musis?
Quis pupillorum tutor, & altor erit?

Parce,

Parce, refers: nec te dubio mærore fatiga,
Fulta DEO sit mens, is pater alter erit.

VIDI ego nunquam vllum, iuuenis qui Numen
amasset

Emendicato viuere pane senem.

Credo equidẽ, namq; ille malis est anchora rebus,
Nec sibi fidentes deseruisse potest.

Ille dedit vitam, & quæ dicere singula longum est,
Quæ vitæ ratio postulat, ille dabit.

At gratum hoc esset, si te producere vitam
Fas foret, & gnatis consuluisse tuis.

Nunc age, concordi cœlestum numine Parcæ
Si debent plenas exonerare colos:

Viue DEO Genitor multo defuncte labore,
Inter sidereas viue relate domos,

Illa dies aderit qua nos jungemur ouantes,
Et qua nos tecum viuere Fata dabunt.

Non sine mente DEI fieri potuisse putandum
est,

Qui vult exhaustis te recreare malis.

Te tot diræ hominum, te tot petiẽre procellæ:
Tutus at ipse DEO vindice semper eras.

Is te cœlicolas inter considerare turmas,
Donaque pro duro ferre labore iubet.

B 2

Militis

Militis emeriti nihil est quod fuscet honorem,
QVI pius est, famæ consulit ille piæ.

*M. Philippus Zorlerus Filius
mæstissimus.*

IDEM IN TVMVLVM.

FRIDERICVS jacet hîc ZORLERVS, cæte-
ra norunt
Albidos & Meni flumina: nota bonis.

ALIVD.

Cùm studiosa cohors lugubri carmine plangat,
Si, quibus hîc vfa est, mors rapit atra, viros:
Hoc deffenda magis veniunt mihi Fata parentis,
A quo principium lucis & artis erat.
At quæ nunc mœsta modulabor carmina mente,
Quæ dicam tumulis (hei mihi) digna tuis?
Vsuram per te jucundæ lucis habebam,
Dulceque te viuo viuere semper erat.
Quid quòd cura tibi fuerat simul vnica honestis
Artibus ingenium condecorare meum.
Defraudans Genium nos omni parte iuuabas,
Palladis vt largas consequeremur opes:

Verùm

Verum nunc patriæ commissos linqvis alumⁿos,
Et tua dilectis subtrahis ora Pater.
Hei, hei sic moreris, sic te fata aspera tollunt?
Hei te sint raptis tot bona rapta bono?
Viue sed ætheriæ felix commixte cohorti,
Et fruire intuitu colloquioque DEI.
Viue, vale, Herculeis maiores passe labores,
Et quæ per Christum est nexa corona, cape.

*Raphaël Zorlerus
Filius.*

ALIVD.

TE, qui prima dabas doctrinæ semina multis,
Erudiens animos in pietate rudes,
Credimus ætherijs superos admittere mensis,
Et dare pro meritis præmia magna tuis.

*Andreas Zorlerus
Filius.*

ALIVD.

IPse gradus vitæ statuens DEVS ordinis autor,
Queis generi humano consuluisse queat:
Hos dat, qui puri tradant oracula verbi,
Atque alios leges vult reparare pias.

B 3

Inde

Inde vides alios patris exercere fidelis
 Imperium, ac agiles munus obire DEI.
 Qui tamen & propria distincti lege tenentur,
 Et non sunt similes munere & arte, loco.
 Corpore enim quantò est animus præstator ipso,
 Qui neque vinimia, nec nece destruitur:
 Quàm præstant etiam rebus diuina caducis,
 Tàm dispar statibus munus inesse liquet.
 Ast horum in sacro resonant qui dogmata cœtu
 Quique scolis præsent, par ratio esse potest.
 (Finis enim ad quem contendant est vnus vtrisque
 Illi animam hiq; animũ moribus instituunt.)
 Et sicut fidei ac operum præcepta tenenda
 Illi vrgent, homines instituuntque rudes:
 Sic quoque proponunt rectores quique scolarum
 Virtutum studia, & corda tenella iuuant.
 Illis adjungunt opus & pietatis & artis
 Vt forment pueros sed ratione feros.
 Sicut ager quamuis fœcundus, cura coloni
 Si desit, tribulis mox lolioque scatet:
 Sic etiam pubis ratio est & plebis in omne
 Propensæ vitium, si monitore caret.
 Sed mores regere & templis auertere pestem
 Summi non dubium est, esse laboris opus.

Vt

Vt satis & constet cunctis quem Ecclesia fructum
Vsu doctorum, percipiantque scolæ.

(Fonte etenim vt multi ducuntur riuuli ab vno
Sic inde existunt, templa, scolæ atque forum.)

Præmia iusta tamen nemo pro talibus ausis
Confert, Doctor enim spretus vbiq̄ue jacet.

In vulgi, & procerum jam sunt contemptibus artes;
Aspera sunt doctis sæcula nostra viris.

Sed mandata DEI, quibus offert cuiq̄ue tenendū
Munus, sunt cunctis anteferenda bonis.

Hæc etiam tetigit ZORLER VM cura Magistrū,
Felix cui talis pectora cura ferit.

Nam sua dona scolis impendit, vt utilis inde
Grex templis, domibus cresceret atque foro.

Ornauit vitam morum grauitate fideq̄ue,
Multaque differuit de pietate suis.

Proxima discipulis mysteria salua Mineruæ
Musarumque hortos cura aperire fuit.

Adde frequens studium mentemq̄; ad singula prō-
Volueret Iliados, seu Ciceronis opus. (tam

Non longi potuere virum terrere labores,
Quorum cum Francis Misnia testis erit.

Hinc & suscipiant & quem venerentur habebant
Quotquot ab Aonio fonte bibere viri.

B 3

Illius

Illius ipse fidem verumque expertus amorem,
Quando pia excoluit pectus in arte meum.
His ego pro meritis quas coner soluere grates?
Non mens vna satis, lingua nec vna satis.
Et præter lachrimas mihi nil fortuna reliquit,
Carminaque in laudes officiosa tuas.
Laudes quas dicam vitæ morumque Magistro
Has non inuenio Marte nec arte, meo.
Namque viri quisquis virtutes prædicet omnes,
Queis hic diuino munere cinctus erat?
Parua modò & digni moniméta nouissima luctus
Reddam, quæ dictat grata Camœna mihi:
Sic ne jacet Diuûm soboles gratissima, cuius
Ad tumulum pietas luget & alma fides.
Sic ne jaces morum instructor præclarus, & artis,
In cuius Sophiæ corde resedit amor.
Sic ne jaces hominum suauissima gloria, cuius
Grata erat externis mentio, grata tuis.
Nec pietatis amor, nec vitæ candor honestæ
Te diræ poterant eripuisse neci.
Sed benè tecum actum: nunc incolis atria cœli,
Et cernis vultu prosperiore DEVM.
Illic curarum requies & gaudia summa,
Gaudia quæ nullo sunt peritura die.

Illic

Illic lætitia fruere sine fine beata,
Atque super Domino multa rogata refers.
Quæ spero hæc opto tibi & euenisse benignè
Iusta vbi cum doctis munera semper erunt.
Et clari vultus splendet sideris instar
Iustitiæ ac fidei cui pia cura fuit.
At nos, qui tellus sumus & sine pondere glebæ,
Omnibus inuisos inferiora tenent.
Donec ad æternæ transcendere gaudia vitæ
Donet, qui seruat cuncta creata DEVS.
Interea hæc dono, sunt munera parua Camœnis
Quæ meritum atque tui scribere iussit amor.
Vilia sunt fateor, nec manant diuite vena,
Ne renue: ingenui pignus amoris erunt.

Vitus Rodolphus.

ALIVD.

ZORLERI tenet hoc mortalia membra sepulchrum,
Qui sanctæ gessit tradita sceptræ scolæ.
Dulcia verba sonans, magna vtilitate docebat
Ingenuos pueros quos didicisse iuuat:
Corporis ast anima ex firma compage soluta,
Nec non à vinculis libera tota suis.
Ipsa Planetarum septem per nubila tranans
Orbes, ascendit tecta beata poli,

C

Illic

Illic inq; manu stellantis Regis olympi
Viuit, luce fruens iustitiãq; DEI.
Hoc etenim felix postremo protulit ore,
Ultimus & sermo hic iam morientis erat ;
Corpus & hanc animam IESV tibi CHRISTE redemptor
Commendo, inq; manus sponte resigno tuas :
CHRISTE redemisti miserum DEVS, ergo salutem
Quam tua promisit vox mihi vera dabit.

*Samuel Setler Friberg. Præ-
ceptoris S.*

ALIVD.

ZORLERO extincto Musarum turba piarum
Nunc omnis luget, rumpit & vngue genas.
Ingenuæ lugent artes & copia fandi,
Ingenio posthac vix habitura virum.
Quid referam gemitus & vota modesta iuuentæ,
Dum moderatorem condolet ægra suum.
Ipsius indomiti metuebant verbera virgæ,
Ponebantq; animos hoc moderante feros.
Ipsius ad nutum, nullo terrente flagello,
Muneris vrgebant debita iussa sui.
Huius pendebant cuncti narrantis ab ore,
Mellifluos quoties funderet ore sonos.
Pars ZORLERE mihi sub te didicisse Magistro,
Et nouisse Dei dogmata, laudis erit.
Tu mihi tradebas præcepta salubria vitæ,
A vitijs arcens & facienda monens.

Tu

Tu mihi pandebas artes quas ipse sciebas,
Sedulus ingenij cultor amansq; mei.
Ipse quidem terras CHRISTO rapiente relinquis,
Sed uirtute tibi fama perennis erit.
Quod dederat corpus mater tibi terra recepit,
Spiritus in cœlum, venerat vnde, redit.
Hunc quia te coluit, quia te constanter amauit
In gremio foueas CHRISTE benigne tuo.

Henricus Iauchius, Præceptori S.

SEQVUNTUR ALIA.

EPITAPHIVM FRIDERICI, M. FRIDERICI junioris, filioli.

HOC ego FRIDERICVS viridi sub cespite
Natus Auo doctis et Genitore viris. (cōdor,
Ille rudem format doctrina atq; arte iuuentam,
Hic CHRISTI lotas languine pascit oues.
Annum vixi vnum: mox matris ab vbere raptum
Mors necat, & terris non superesse finit,
Nominis hæredem Genitor doctissime luges,
Delitiasq; tuas Mater obire doles.
Sistite sed lachrimas, nam cœli sede receptum
Me pacis Princeps nunc fouet in gremio.

M. G. L.

C 2

IN

In obitu Christiani eiusdem filij pueri septennis.

O Dolor atq; decus magnum rediture parenti,
Maius auo: luctū numine CHR Iste leua.
CHRISTE leua: puerumq; tuo de nomine dictū
In gremio foueas erudiasque tuo.

ALIVD.

Aspicio en præsens illustria numina CHRISTI,
Inque scola cœli nomina scripta gero.
Ergo aue, tuque pater capite hæc solatia mœsti,
In regno CHRISTI jam mihi palma data est.

Obijt Friberg, 9, Feb. Anno. 1585.

Auus.

Pro filiabus M. Friderici Zorleri Senioris.

Q Væ modò chara fuêre MARIA, ANNA
atque SIBYLLA
Pignora, ZORLERVS cernit obire diem.
Spes erat in sacros thalamos innubere, nupta
Dum foret hîc sponso quæque dicata suo:
Atque in conjugio summo inseruire parenti,
Pectore dicentes vota, precesque pio.

Sed

Sed dum fata volunt, vero junguntur amanti:
Spes nostra atq; salus, maxime CHR iste, tibi.
Cuius ab amplexu nunc hærent, atque fruuntur
Lætitia, sanctis quæ sine fine manet.

Fabianus Natus, Cantor Torgensis.

IN TVMVLVM.

Hic post mœsta suam requiem tres fata sorores
In spe sanctorum non dubitanter habent.
Has tulit è vita properato funere pestis,
Proh quot Nympharum corpora falce metès.
Illæ ZORLERO natas se patre ferebant,
Quas ex Mencia stirpe cubile dedit.
Verùm immaturo defunctas tempore vitæ,
Prosequitur lachrimis viuus vterque parens.
QVÆ vitã CHRISTO, simul & decus omne dica
Consortes regni gaudia certa ferunt. (runt

Obiëre Friberg. Anno 1585.

M. Philippus Zorlerus Frater.

Idem pro ANNA.

VT flos purpureus marcessit Sole perustus:
Sic cessit fatis ANNA peremta suis.
Obijt hæc Fribergæ Anno 1585.

C 3

EPI-

EPICEDIVM

PIISSIMÆ ET CASTISSIMÆ VIR-
GINI MARIÆ, CLARISSIMI ET REVE-
rendi viri Dn. M. Friderici Zorleri senis Fribergæ
Rectoris Filix, piè in Christo Domino de-
functæ. Anno salutis M. D. X X C V.
Nonis Nouembris.

*Nudam me genuit genitrix : et nuda reuertor
Ad te CHriste, sacro sanguine lota tuo.*

Ἐάν τι
ζῶμιν,
ἰάν τι ἀπὸ θνήσκωμιν,
τῶ κιν
ρίσ ἰ
σμή.
Rota.
XIV.

ΜΑΡΤΗ ΠΑΡΘΕ ΚΛΙΩ ΠΑΧΙΩΣ ἸΜΕ ΜΟΪΡΑ, ΚΑΘΩΣΩΣ
ΜΕΛΛ' ἸΜΛΥΜ ΒΕΛΗ Ἐ ΜΕΓΑΛΟΙΟ ΘΕῸ.
ΡΙΖΗΛΗ Γῆ ΣΩΜΑ ΚΡΑΤΕΙ, Ὀ ΠΑΛΙΟ Μ' ΠΑΙΣῶΝ
ΧΙΛΙΣΤΩΝ ΜΑΚΑΡΩΝ ἸΞΕΡΕΙ Ὁ ΘΕΟΣ :
ΑΜΒΡΟΣΙΩΝ ἢ Τὸ ΠΝΕΥΜΑ ΚΛΕΩΙ ΣΕΦΑΝΗ Ὁ ΧΡΙΣΤΟΣ
ΩΡΑΩΙ ΚΑΙ Ζῶ ἄΓΕΝ ΕἶΝΤΙ ΘΕῶ.
εἰς ἀγάπης μνημείων.

M. Melchior Iöstelius Dresdensis.



18. Nov 1996

Nh 1217


ULB Halle 3
001 600 079



TA → OL







EPITAPHIA
IN OBITVM PIETA-
TE PRÆSTANTISSIMI AC
ERVDITONE CLARIS SIMI
VIRI DN. M. FRIDERICI ZORLERI
Kittingensis Franci, Fribergensis in Misnia lu-
di Rectoris egregiè fidelis Prid. Cal. Feb. An-
ni 1587. piè in CHRISTO defuncti, ætatis suæ
propè LXV: vbi per annos XLI, cum Troiæ
Francia, tum Fribergæ & Dresdæ de iu-
uentute scolastica præclarè esset
meritus.

SCRIPTA

ab
amicis, filijs & discipulis.

DISTICHON CONTINENS DIEM,
mensẽ & annum obitus.

PhœbVs Vbi Iano postreMos egerat ortVs,

ZorLerVs sVpera seDe repostVs oVat.

M. Pbil. Z. F.

WITEBERGÆ.

Typis Zachariæ Cratonis.

8

9

